

Nicolaus Schütze Justus Friedrich Schöner

Disputatio Iuridica De Compensatione,

Rostochi[i]: Kilius, 1638


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747417520>


Druck Freier  Zugang





V. K- 2 (46.)





DISPUTATIO JURIDICA

De

COMPEN-
SATIONE,

QUAM

DEO TER. OPT. MAX. AUXILIANTE.

Auctoritate Nobilissimæ &
Amplissimæ Facultatis Juridicæ
in inclutâ ad Varnum Academiâ

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi, Consultissimi & Excellentiss:
Dn. NICOLAI Schützen/ J.U.D.
& ibidem Cod: Profess: pub: Præceptoris &
Promotoris sui obsequioso observantiæ
studio ætatem venerandi,

Publicè discussendam proponit

JUSTUS FRIDERICUS Schöner/
Svinf. Francus A. & R.

Ad diem 20. Januar.

In Auditorio Majori horis solitis,

ROSTOCH J,

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typograph.

ANNO M DC XXXVIII

38

DISPUTATIO JURIDICA

COMPEN-
SATIONE

QVAM

DEO VERDE MAY. 1717

Auctoritate Nobilissimae &

Academiae Lipsiensis

in iuris et historiae

disputatione

per Joh. G. Schum. J. U. D.

Dr. N. G. Schum. J. U. D.

in iuris et historiae

disputatione

per Joh. G. Schum. J. U. D.

in iuris et historiae

disputatione

per Joh. G. Schum. J. U. D.

in iuris et historiae

disputatione

per Joh. G. Schum. J. U. D.

in iuris et historiae

disputatione

IN NOMINE DOMINI
DEI NOSTRI JESU
CHRISTI.
PRÆLOQVIUM.

Disputationis hujus argumentum non opus habet, ut prolixis verborum commendetur lenociniis, siquidem ipsum satis speciosè in curiis coram tribunalibus sese quotidie ostendit. ipse etiam Ictus Pomponius in l. 3. ff. de compens. ipsius indicat utilitatem, dum commendat necessitatem: *Necessarium autem est hoc compensationis remedium ideo, quia non tantum ad contractus, verum etiam ad ultimas voluntates & delicta pertinet, uti in ipsis thesibus demonstrabitur, de his autem pleræq; nostris in iudiciis assidue exercentur lites. Cum itaq; adeo sit generale, necessarium & utile, non abs re fore duxi, si paucas & breves de eo conscriberem theses, easq; ad limatiorem amica collationis incudem revocarem.*

THESIS I.

Compensationis materiã tractaturus initium à nominis explanatione dūco, imitatus Ictum Paulum in l. 1. ff. de surr. l. 1. ff. de Acquir. vel amitt. poss.

2. Est autem **Compensationis** vocabulum à **compensare**, quod significat unam summam cum alterã simul in eadem lance ponderare: & dicitur à **pendere**, quod Festo idem est, quod pecuniam solvere. Olim enim, cum nummorum usus nondum esset inventus, per l. 1. ff. de contrah. empr. juris gentium ratione inoleverat,

A 2

ut au-

ut aurum argentumq; rerum comparandarum precium in com-
merciis appenderetur, ac ad quantitatem pondis valorem cuiusq;
rei definiret, sed procedente tempore illa dependendi ratio visa est
molestior, inde factum est, ut cuiusq; Reipub: Principes certæ quan-
tatis nummos cudere, eosq; certis imaginibus in valoris testimo-
nium insignire cœperint, *Jacobus Lampad: in discursu de Natura
nummi.*

3. Etymologiã investigatã, homonymia quoq; ipsius est indican-
da, jure enim meritò summus ICTorum labor est circa verborum pro-
prietatem eruendam, teste *Quintil. lib. 5. c. ult. in fin. siquidem.*

Errorum genitrix est equivocatio semper.

quæ neglecta multum parit obscuritatis & difficultatis, detecta au-
tem toti materiæ faciem præfert, ut omnia eò clarius innotescant.

4. Non una est ubiq; vocis **compensationis** in jure nostro si-
gnificatio, siquidem ea quandoque sumitur proprie, quandoque
etiam improprie, prout scilicet diversè producit effectus.

5. Improprie quando sumitur, denotat **detentionem tem-
poralem**, quæ aut loco pignoris tantummodò est. *per. l. si convene-
rit. 18. de pignor. act. l. si non sortem 26. §. 4. de condic. indeb:* aut ad cer-
tum tempus rem debitam efficit indebitam, *per. l. quod dicitur. §. de im-
pens. in res dot. fact.* Cum enim pignus soluto debito, quando placet,
repeti possit *t. t. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. & res debita à possessore,*
soluta ei prius pecuniã, sit præstanda. *per. d. l. §. hinc etiam hujus-
modi compensationis effectus est tantum interimisticus, ut ita lo-
quar, & temporalis.*

6. Proprie autem sumitur pro **Retentione perpetua**, *d. l.*
19. §. l. Si debitor. 4. qui pot. in pign: quæ vim & effectum solutionis
habet. *l. Si constat 4. C. de compensat: d. l. 18. de pign: act:* proinde ad si-
militudinem solutionis perpetuò liberat. *l. unusquisq; 2. de compens.*
debitumq; vel omnino tollit, vel saltem imminuit, prout nimi-
rum quis integri debiti, vel ejusdem partis compensationem habet.
d. l. 4. C. b. t. l. deducta 58. §. 3. ad statum Treb: l. Titia. 34. §. s. de Legat. 2o
de hac posteriori hac nostra agat disputatio.

7. Explicata ita definitione nominis, cujus cum quidem prior, rei
tamen potior sit habenda ratio. *arg. l. 1. de reb. cred: subjungemus*
nunc definitionem rei. 8. ICTus

8. Ictus Modestianus talem posuit in l. ff. b. t. **Compensatio est debiti & crediti inter se contributio.** Alii Compensationem quantitatis debita & credita hinc inde loco solutionis legitimè factam computationem definiunt arg. l. 18. de pignor. act. l. 4. C. de Compens. l. 1. ff. eod.

9. Posita definitione, ad cuius uberiorem explicationem sequentia facient, aditum nunc faciemus ad investigandas causas, efficientem scilicet, materiam, formam & finem.

10. Efficiens compositionis causa vel est remota vel propinqua.

11. Remotam compensationis causam statuimus **Jus Gentium & Civile.** Utrumque enim remedium hoc admittit ob æquitatē, quā est subnixum per l. 36. ff. de admin. & peric. tuti illud quidem ob naturalem, hoc verò etiam ob civilem.

12. **Naturalis** consideratur vel respectu Compensantis, vel respectu compensationem patientis.

13. Respectu Compensantis quando consideratur, fundatur illa, **Primo, in justitiā expletrice,** quæ, quando id, quod nostrum est, aut nobis debetur, non aliter consequi possumus ab eo, qui nostrum habet, aut nobis debet, tantundem in re quavis permittit accipere teste Hugone Grotio lib. 2. c. 7. n. 3. de Jure Belli & pacis. multò magis igitur permittet id, quod penes nos est, retinere. Eodem lib. 3. c. 19. n. 35.

14. **Secundò, in ipsius interesse.** Interest enim ipsius potius nonolvere, quàm solutum repetere. l. 3. ff. b. t. ob lites scilicet, labores, expensas & alia incommoda, quæ quis in judiciis sustinere necesse habet. Melius itaque est intacta jura servare, quàm post vulneratam causam remedium quærere. per l. sancimus. 5. C. in quibus caus. in integr. rest. necess. non est. & in tempore occurrere, quàm post exitum se vindicare. l. 1. C. quando lic. un. fin. jud. se vind.

15. Respectu compensationem patientis iterum duplici nititur fundamento. **Primum est æqualitas servanda,** siquidem, juxta verbum illud: Quod tibi vis fieri, vicino feceris æquè. arg. l. 1. C. de ff. quod quisq. jur. Actor igitur, qui sibi satis fieri desiderat, & ipse vicissim præstet, suo quod debet creditori.

16. **Secundum est injustitia & dolus vitandus.** Dolo

Δ 3

enim

enim malo facit, qui petit id, quod statim redditurus est. *per l. in con-*
demnatione. 173. §. 3. de Reg. jur. l. dolo. §. ff. de doli mali & metus ex-
c. dolo 59. de Reg. jur. in 6.

17. Civilis iterum duplici est superstructa fundamento, primum
est, quod in Republica bene constituta litium occasio sit amputanda.
arg. l. properandum 13. C. de judic. & judicis incumbat officio eas dimi-
minuere. arg. l. congruit 13. ff. de offic. Praesid. Secundum, quod homi-
num malitias sit occurrendum, non autem indulgendum. per l. in
fundo 38. ff. de R. V. Cum igitur per hoc compensationis remedium
in uno judicio futurorum litigiorum ansa commodè praescindi, ex-
pensa, damna & alia incommoda possint evitari. Imperator utile ju-
dicavit & necessarium, ut & in orbe Romano, paulò tamen limatius
efformatum, admitteretur, quam apud alias gentes solet fieri, nullae
enim aliae gentes talem compensationis observant formam, qualem
populus Romanus.

18. Plus satis de remotà. Propinqua est is, qui vicissim sibi habet
obligatum eum, qui petit, & compensatione uti vult. Ubicunq; igitur
utrinq; est debitum, aut mutuae actiones, ibi locus est compensa-
tioni. *Bachov. ad Treutl. volum. 1. Disp. 25. tit. 10. lit. A. B. C. Unus-*
quisq; enim creditorem suum eundemq; debitorem petentem sub-
movet, si paratus est compensare. l. 2. ff. h. t.

19. Alius igitur, quam cui debetur, compensatione non potest
uti, nec quod alij, quam ei, qui convenitur, debet, compensare credi-
tor cogitur. *l. cum militi. 16. in princ. l. in rem suam 13. §. 1. l. id quod 23. ff.*
h. t. l. ejus 9. C. eod. Compensatio enim est debiti & crediti inter se
contributio, uti describitur in l. 1. ff. h. t. quapropter si reus alij & non
actori debito est obstrictus, non adest invicem creditum & debitum,
& per consequentiam nulla etiam crediti & debiti potest inter se
fieri contributio. Hinc etiam in l. qui invicem 30. ff. de condict. indeb: is
compensationem objicere posse dicitur, qui invicem creditor est
itemq; debitor; inter eadem enim personas compensatio fieri debet,
ne jus tertij cujusquam per eam laedatur. Grot: in d. tract: de jure belli
& pacis lib. 3. c. 19. n. 19. item argum: l. non debet. 74. ff. de R. l.

20. Circa hanc causam efficientem aliquot moveri solent con-
troversiae quarum praecipuas hic examinare & apponere lubet.

21. Queri-

21. *Queritur primo.* An bannitus compensationem
inire possit? Cum compensatio sit species exceptionis & per con-
sequens etiam defensionis. *arg. l. 2. ff. de Except. l. ult. C. de Compens.*
non videtur ipse posse prohiberi. Nemini enim defensionis facultas
est deneganda *arg. l. defensionis. 7. C. de jure fisci.* Insuper, cum sit
species solutionis, per *d. l. fin. C. de compens.* quæ bannito nullibi inter-
dicta legitur. Deniq; cum ipso jure fiat, uti ex infra dicendis patescet,
bannitus eam allegare, ut sese defendat, optimo jure poterit. *arg. c.*
om inter. 5. de Except. Compensando enim saepe quis consequitur,
quod non consequeretur agendo. *l. Si cum filiofam. 9. ff. h. r. Tyndar.*
art. 7. num. 24. Sebast. Med. part. 2. q. 3. in tract. de Compens. & ex
his Rutgers. Rulant. in tract. de Commis. parte 4. lib. 9. c. 6. n. 10.

22. *Secundo.* An excommunicatus eam objicere queat?
Cum eadem in excommunicato militent rationes, quæ militent in
bannito, non video, cur defensionis hujusmodi ipsi sit denegandus,
aliudq; jus in hoc, quam in illo, statuendum. *arg. l. quedam 9. §. num-*
mularios. 2. ff. de cendo. l. illud quesitum 32. ff. ad L. Aquil. maxime,
cum excommunicatus possit & excipere. *d. c. cum inter, & solvere.*
glos. c. veritatis 8. de dolo & contum. dummodo ipsius debitum sit li-
quidum, nec altiore inquirat indaginem, sed executionem habeat
paratam. Sebast. Medic. d. l. Diss. glos. Tancred. Panormi. Aretini
Bald. Barr. & alij. ad l. 4. h. r.

23. *Tertio.* An absentis defensor possit uti compen-
satione ejus, quod invicem ab actore debetur? Distin-
guendum hic esse video, an scilicet suum debitum velit compensare,
an domini, priori casu non admittitur compensatio, quia instituta
actionis respectu ageretur de plane alieno debito, non enim suo, sed
domini nomine convenitur, id autem aliquis tantummodo per com-
pensationem retinere potest, quod alter vice mutua sibi debet. *l. ejus*
9. C. de comp. Posteriori autem casu omnino potest, quia, cum domi-
ni sit procurator, illius etiam nomine agere & excipere poterit. *l. 1. ff.*
de Procur. nec est necesse, ut de rato caveat, quia nihil compensat, sed
ab initio minus ab eo petitur. per l. posteaquam. 21. ff. h. r.

24. *Quarto.* An procurator in rem suam? Respondet
pro nobis *l. 18. ff. h. r. In rem suam, procurator datus post litem contesta-*
tionem,

nionem, si vice mutua conveniatur, aequitate compensationis utetur.
gloß: ex l. 3. C. de novat: adjicit huic casui l. 18. duos adhuc alios, si scilicet procurator in rem suam debitori denunciaverit, deinde, si partem debiti acceperit. Bachov. ad Treutl: vol. 1. Disputat. 25. thesi. 16. lit: A. B.

25. Quinto. Filius familias an patris nomine queat compensare? Affirmativam tuetur Julianus in l. 9. Si cum filiofam. §. 1. h. t. ita tamen, ut caveat patrem suum ratum habiturum, id est non exacturum, quod is compensaverit, Rationem adfert, quia unus est contractus. arg. §. si quis alij. 4. Inst. de Inutil: stip: Tyndar. part. 7. n. 3. d. tract.

26. Sexto. An pater vel dominus possit compensare id, quod filio vel servo debeat? Hoc item decidit paulo ante allegata l. Si cum filiofam: 9. princ. & l. Si quis. 15. ff. de stip: serv.

27. Septimo. Num tutor nomine pupilli petens compensationem facere possit? Si pupilli ipsius debitum objicitur, eam omnino facere potest per l. Si tutores. 11. C. h. t. tutor enim, pupilli res cum administrat, ipsius personam representat, & quemadmodum nomine pupilli solvere potest. arg. l. Si tutor. 23. C. de admin: tut: ita etiam poterit compensare, quia compensatio vicem solutionis obtinet. per l. Si constat. 4. C. h. t. Si autem tutori proprium suum opponitur debitum, planè nulla fieri potest compensatio, quia respectu actionis institutæ debitum planè alienum objicitur. per l. id quod 23. ff. h. t. l. ait prator. 3. §. 4. ff. de negot: gest. l. inter. 36. ff. de admin: & peric: tut.

28. Octavo. An cessionario possit objici compensatio nomine istius debiti, quo ipse cedens est obstrictus? Negativam defendit Bachovius ad Treutl: volum: 1. Disp: 25. 26. 10 lit. D. per l. Eius quod non. 9. C. h. t. alias enim iniqua conditio inferretur cessionario, qui nihil cum debitore cedentis egit. Sed hoc verum est, quando cessionarius utili actione proprio nomine experitur, non verò si directa ex persona cedentis agit, tunc enim etiam ex persona cedentis compensatio objici potest.

19. Nono.

29. **Nond. An fidejussor possit nomine principalis compensationem inire?** Hunc tam id, quod sibi, quam quod reo principali debetur, compensatione deducere posse, probat *l. 4. junct. a. l. 5. ff. h. t.* Nam, cum fidejussor convenitur habens regressum ad reum principalem, ipse principalis conveniri videtur. *arg. l. ult. §. 1. C. de usur. rei judic. insuper, eadem fidejussori, quæ reo, profunt exceptiones. l. exceptione. 57. ff. de fidejuss. & mandat. neq; fidejussor ipso jure tenetur in majorem quantitatem, quam reus potest condemnari. l. verum est. 4. ff. h. t. de Compens.*

30. **Decimò. Non incommodè hic etiam movetur illa quæstio. An is, qui juravit solvere, possit compensare?** Affirmat *Bachov. ad Treutl.* eo tantummodò casu, quo debitum post interpositum juramentum est contractum. *d. volum. 1. Disp. 25. rh. 11. lit. A.* Cum verò hoc nullam ferè habeat dubitandi rationem, quia per subsequens debitum primum ipso jure tollitur per compensationem. *per. l. si constat. 4. & l. fin. C. h. t.* ideo etiam juramentum nullam potest habere efficaciam. *arg. l. nihil dolo. 129. §. 1. ff. de R. I.* quia juramento inest conditio, nisi justa causa supervenerit: Quapropter nos etiam illo casu, ubi debitum juramentum præcessit, compensationem admittendam esse tentabimus, propter *l. Si se non 4. §. solvisse 7. ff. de Rejud. ubi dicitur*, eum non tantum solvisse, qui solvit, verum omnem omnino, qui ea obligatione est liberatus: quòd autem ille, qui compensavit, sit liberatus, probat *l. Si ambo 10. pr. ff. h. t.* Nec defectus solutionis jusjurandum sustinere potest, quum debitum per compensationem, quæ ipso jure pro solutione est, jam sit sublatum. *l. 4. C. h. t.* Probatür hoc etiam *l. Si debitor 4. ff. qui pot. in pign. junct. a. l. vel permutavit. 19. ff. de liber. caus. l. dedisse 76. ff. de v. s.* Etiam enim alias conditio præcisè nõ verò per æquipollens, debeat adimpleri, *per. l. Mevius 55. l. qui heredi 44. ff. de condit. & demonstr.* Solvendi tamen conditio per compensationem adimpletur. *l. Si peculium 20. §. 2. ff. de statu lib. l. Julianus. 45. ff. de condit. & demonstr. Joan. Bapt. A sinius in tract. de Execut. §. 9. c. 29.*

31. Causas efficientes excipit in ordine materia, quæ duplex est, alia est materia in qua, **sive subjectum**, alia circa quam, **sive objectum**.

B

32. Sub.

31. Subjectum compensationis est is, qui invicem creditor
itemq; debitor est, *l. qui invicem. 30. ff. de cond. in deb.* alterum enim
de debiti solutione compellans cui & ipse debito est obstrictus, com-
pensationem objectam admittere tenetur. *arg. l. unusquisque 2.
ff. h. t.*

33. **Creditoris** appellatione hic non ille tantum venit, qui
pecuniam credidit, *credere enim est fidem alienam sequi. l. 1. ff. de Rebr.
cred. quod maxime fieri solet in mutuo per l. 11. ff. de V. S.* verum omnis
omnino, cui ex qualibet causa debetur, *per d. l. 11. ff. de V. S. sed efficaci-
zer.* Extendimus igitur hoc vocabulum tam ad obligationem naturalem
tantum, quae in nudis honestatis & aequitatis terminis consistit, siqui-
dem etiam in hac compensationem locum habere probat. *l. 6. ff. h. t.*
quam ad obligationem naturalem & civilem simul, quia hanc &
naturalis sustinet aequitas & legis civilis firmat autoritas. *Subolt.
Diss. 12. hb. 25.* non autem ad civilem tantum, quia haec sola juris civi-
lis subtilitate nititur, non autem naturali aequitate, quam perempto-
ria sustulit exceptio. *per l. 95. S. 4. ff. de solut. juncta l. 14. ff. de
compens.*

34. Ita etiam voce **debitoris** non ille tantum venit, qui ex
mutuo vel alio quodam contractu debet, sed omnis omnino, sive de-
beat ex obligatione naturali tantum, sive naturali & civili simul, sive
ex contractu vel quasi, sive ex delicto vel quasi. *per l. 10. S. 2. ff. h. t.* dum-
modo agatur civiliter, non criminaliter. *d. l. 10.* Debere enim nobis
aliquis potest aut ob inaequalitatem rerum, aut ex poena. *Grot. de jure
Bell. lib. 3. c. 13. in princ.*

35. Nihil autem interest sive ex causa publica, sive ex privata sit
obligatus, nulla enim, quoad hanc est differentia, sed sufficit aliquem
esse obligatum ad aliquod debitum ex quacumq; etiam causa.

36. Publicam causam vocamus eam, ex qua Reipublicae vel fisco
aliquid debetur.

37. Reipublicae debitum admittere compensationem patet ex
l. in eo 3. C. de Comp. Debito enim tali cum alio concurrente mu-
tuum existit debitum, ideoq; etiam recte poterit fieri compensatio.
arg. l. 1. ff. h. t. Certi tamen casus sunt excepti, quos recenset Imperator
in l. 3. C. h. t. Sebast. Medic. de Comp. part. 1. q. 38.

38. Debi-

38. Debitum à fisco compensationem non respicere probat l. 7.
l. fin. C. h. r. l. idem juris 12. l. fin. ff. eod. l. aufertur 46. S. ut debitor s.
ff. de jure Fisci.

39. Sed hinc notandum est: **Primò**, Quod is, qui adversus fiscum
compensatione velit uti, necesse habeat, ut debitum sibi intra duos
menses doceat. d. l. aufertur. S. qui compensationem. ff. de jure fisci.
Secundò. Quod compensatio tum demum admittatur, si eadem
ratio quid debeat, quæ petit. d. l. i. C. h. r.

40. Privatam causam appellamus eam, ex qua debetur privatis,
quod multis modis fieri potest, veluti ex nudo pacto. per l. ejus
quod. 6. ff. h. r. ex causa judicati. l. 2. C. h. r. nomine fidei com-
missi. l. etiamsi. s. C. eod. ex peculio. l. debitor. 19. C. eod. &c.

41. Ex his causis omnibus admittitur compensatio, verum tum
demum, si personalis sit instituta actio, non autem si realis. Nam in
illa tantum proprie dicta locum obtinet compensatio, non vero
in hac, ubi certa vindicatur species. per l. Si in rem. 6. ff. de R. V. Com-
pensatio enim est loco solutionis. per l. Si constat. 4. & l. fin. C. h. r.
sicuti autem species pro specie, aut quantitas pro specie non recte sol-
vitur invito creditore, utpote aliud pro alio, per. l. 2. §. 1. ff. de Reb.
Cred. ita neq; recte compenatur. Gebaus. part. 1. peric. Acad. 7. q. 41.

42. Nihil verò interest, an actiones sint bonæ fidei, an stricti ju-
ris. Nam etiam in his D. Marcus compensationem admisit oppo-
sitâ doli mali exceptione (quia dolo malo facit, qui petit id, quod sit
eum redditurus est. per l. dolo. 8. ff. de doli mali & metus exceptione) §.
in bonæ fidei. 30. Inst. de act. idq; ideo, quia exceptio doli iudicium
strictum facit bonæ fidei. l. Seja. 42. ff. de mort. caus. donat. Cuiac.
lib. 8. observ. c. 17.

43. Imperator autem Justinianus hoc latius produxit. & in omni-
bus tam bonæ fidei, quam stricti juris actionibus etiam sine exceptio-
ne doli ipso jure compensationem fieri posse constituit. per d. §. in
bonæ fid. 30., Inst. de Action. & l. fin. C. de Compens.

44. Quamvis autem effectu considerato nihil intersit, an ipso
jure quis actionem non habeat, an per exceptionem repellatur. l.

nihil interest. *uz. de R. J.* Attamen quoad modum & processum plurimum refert, an ipso jure exceptio insit, an vero per exceptionis modum veniat opponenda. Exceptionum enim formulae aequè, ac actionum olim praescribebantur, quod nisi factum esse, iudex exceptionem non admittebat. *Bachov. ad Treutl: vol. 1. Disp: 25. th. 7. lit. C. Vult. 2. Jurisprud. Rom: c. 26. p. m. 584.*

45. Hinc factum est, ut totum petens, cum lex ipsa summam imminuat. *l. 4. 10. 11. 21. ff. h. t. pœnam plus petentis incidat. Paul: 2. sent. tit. 5. in fin. & totum solvens pro concurrente quantitate debiti conditionem habeat. l. Si ambo 10 §. 1. ff. h. t. arg. l. qui invicem, 30. ff. de Condict. indeb:*

46. Nequaquam autem Imperator Justinianus propriè dictæ compensationis naturam immutavit *per l. fin. C. h. t. & s. in bona fidei 30. Inst. de Action.* Sed quemadmodum olim. *arg. l. fin. C. commodati.* Ita etiam hodiè in actionibus in rem, si res extat & petitur, compensationi propriæ non est locus, repugnat enim ipsius naturæ, siquidem ea solum in quantitate consistit, quemadmodum infra dicetur.

47. Interim tamen *in d. l. fin. C. h. t.* Imperator hoc constituit, ut actiones in rem hodiè simili modo, quo olim actio dotis, (quod in hac pianè speciale fuit, ut impense necessaria ipso jure dotem, etiam si ea in fundo esset constituta, minuerent, hoc effectu, ut res ad tempus desinat esse dotalis, & maritus soluto matrimonio, usq; dum ipsi de impensis satisfiat, in fundi detentione possit permanere. *l. 5. ff. de impens. in res dot. fact.:*) propter debitum aliquod pecuniarum denegentur, resq; debita præstanda hætenus pro indebita habeatur, donec aliquam actionem intenta: urus & vindicaturus possessori de debito prius satisfaciat.

48. Quoad hunc autem effectum, nimirum debitum ipso jure vel tollendi vel imminuendi *juxta l. quod dicitur 5. ff. de impens. in res dot. fact.* Imperator Justinianus ab alijs actionibus excepit depositum *per §. 30. Inst. de Action:* cui propter debitum aliquod pecuniarium compensatio ea, quæ cæteris actionibus, non potest obijci, sed depositum repetenti, si extet, celerimè, illico, primâ fronte, quam ocyllimè est restituendum *per l. 11. C. depositi Paul: 2. sent. tit. 12. de deposito,*

deposito, Cuius lib. 9. obs. e. 16. in fin. neq; ideo ipso iure actio depo-
siti ad tempus vel tollitur vel minuitur, idq; propter bonæ fidei exu-
berantiam. l. Lucius Titius. 24. ff. depositi. l. Si ex ea 6. C. de R. V. quia
non facile quis deponere solet, nisi apud amicum & intimè notum.
Ne igitur aliquis rerum suarum exactione defraudetur, &, ne id,
quod celeritatis beneficio est inventum, tarditatis subdatur injuriis, uti
loquuntur Imp: Valentin: Valens & Gratianus. in l. in interdicto. 22.
C. Theod. quor. appell: non recip: hoc ita est constitutum. Gæbau:
pari: 2. peric: Academ: 7. quest. 41.

49. Hæc de Subjecto compensationis, jam deveniendum erit
ad **objectum** ipsius, circa quod scilicet ea versetur.

50. Versatur autem circa solam **quantitatem**: Est igitur
verum ipsius objectum quantitas, sive res, quæ constat pondere, nu-
mero & mensura, utpote, quæ in genere suo muttam recipit functio-
nem, ut item videatur esse solutum, non verò aliud pro alio per l. mu-
tuum 2. §. 1. ff. de Reb: Cred: veluti oleum, quod potest compensari
cum oleo, frumentum cum frumento, vinum cum vino, pecunia cum
pecuniâ. l. Si convenerit 18. ff. de pignor. l. 4. l. 8. l. 11. C. h. t. de Comp
l. 15. & 19. ff. eod. Ex pari enim specie compensatio est faciendâ, li-
cet ex causâ vel pari vel dispari admittatur. Paul: 2. sent. tit. 5. We-
senb. in 7. ff. h. t. n. 6.

51. Quantitas autem ad quantitatem non compensatur, si unius
diversa ab altera est materia, veluti aurum ad argentum. Interest
enim nonnunquam creditoris potius in hæc, quam aliâ specie pecu-
niam accipere, ideo, quia non est eadem utriusq; qualitas, siquidem
hæc à materiâ dependet, hoc casu nec solutioni locus est. arg. l. debi-
torem 99. ff. de solut: Si verò iudex æstimaverit, quanti ipsius interest
potius in aliâ specie pecuniam accepisse, compensationem admitti
posse statuo cum Bachovio ad Tr: d. D. th. 8. lit: C.

52. Si quantitas ex una parte debeat ut quantitas, ex alterâ au-
tem parte ut species, sive certum corpus, compensatio fieri non po-
test arg. l. cum fundus. §. 1. ff. de Reb: Cred: quia debitor cogitur præ-
cisè ad speciem solvendam. l. Sed si 51. ff. de Legat: 1. nec aliud pro a-
lio invito creditore solvere potest in princ. Inst. quib: mod: toll: oblig:
l. eum à quo 16. C. de solut:

B 3

53. Nec

53. Nec corporibus debitis admittitur compensatio cum aliis corporibus vel cum quantitate, propter inæqualem eorum inter se æstimationem. *per l. Si convenerit 18. ff. de pign. act. l. Si ex ea 6. C. de R. V. l. quod dicitur. 5 ff. de impens. in res dot. fact. l. Si non 26. S. 4. ff. de condic. indeb. c. ult. ext. depositi.*

54. Si species ex uno latere debita sit perempta, ex quo debeatur ejus æstimatio an fiet cum quantitate ab altero debita compensatio? Prima fronte videtur, non posse fieri, cum illa æstimatio surrogetur in locum speciei consumptæ, ideo etiam ejusdem censetur esse naturæ *arg. l. Si eum 10. S. 2. ff. Si quis caut. Verum Imperator Gordianus contrarium decidit in l. Si propter fructus 7. C. b. t. Tyndar. d. tract. art. 3. n. 5.*

55. Hactenus egimus quoque de objecto, methodi ratio nunc postulat, ut agamus de formâ.

56. **Forma ipsius consistit in modo sive ratione eam ineundi.** Initur autem Compensatio statim, quando utrinque adest debitum compensabile, ipso jure. Sive compensatio in omnibus actionibus hodiè ipso jure eas minuit *per l. fin. C. h. t. S. In bonæ fidei. 30. Inst. de act. & quoad hoc nulla est differentia inter actiones in rem & personam, siquidem tam illæ, quàm hæ ipso jure minuuntur, illæ autem vigore compensationis improprie ad tempus, hæ verò vigore proprie in perpetuum Gahaus: d. l.*

57. Hæc autem phrasis, ipso jure minui, denotat quod iudex semper & in quacunque actione potestate à jure & constitutione novâ sibi concessâ debeat audire eum, qui vicissim allegat sibi deberi, & ubi cōditio rerum patitur, reum, cui actor vicissim quid debet, in minus condemnare.

58. Non autem hoc sibi vult, quasi compensatio coram iudice planè non sit alleganda, siquidem & ea, quæ ipso jure sunt allegatione opus habent, si aliquis velit frui juris beneficio, *veluti: Testamentum ratione præteritionis est ipso jure nullum, & tamen necesse est, ut præteritus dicat, se esse præteritum, & petat testamentum ob id declarari nullum. l. filio. 17. ff. de injust. rupt. & irr.* Sic etiam Solutio & Acceptilatio, quamvis ipso jure obligationem tollant, iudici tamen nihilominus sunt alleganda. Non pugnant igitur hæc inter se, ipso jure aliquid fieri,

fieri, & facti hominis opus esse: Opponenda igitur saltem idè est; ut iudici de compensando debito constare possit, ne ille neglecta à reo allegatione neglecto hoc juris beneficio in iudicio procedat & agentem audiat eumq; condemnet. Juvant hanc sententiam *tex: l. 2. verbis, compensationem implorare. l. neq; scriptura. 6. verbis. Compensationis æquitatem jure postulas. C. h. t.* Confer etiam *l. 7. l. 8. l. 10. l. ult. §. 1. C. eod. l. 13. l. 15. l. 18. & seq. ff. eod.* Ut autem ipso jure fieri possit compensatio sequentia requiruntur.

58. **Primò.** Ut **æquale** utriq; adsit debitum. Hoc tùm fit, si utriq; pecunia, vel aliud, quod in suo genere functionem recipit, debetur, diversæ enim qualitatis res uti non possunt solvi invito creditori. *l. §. 1. l. ff. de Reb. Cred. ita neq; compensari. arg. l. 4. C. h. t.*

59. **Secundò,** ut debitum illud utriq; sit **liquidum**, sive ut causa, ex qua cõpensatio instituitur (veluti ex mutuo, locato vendito &c.) liquida sit, & non innodata multis ambagibus, ut iudici facilius sui exitum præstare possit. *per c. fin. ex: depos. §. in bona fidei. 30. Inst: de Act: quale est debitum confessum & quod ex iudicato venit.* Liquidi verò ad illiquidum non admittitur compensatio. *Satù enim miserabile esset post multa variag; certamina, cum res jam fuerit approbata, tunc ex altera parte, qua jam penè convicta est, compensationem opponi jam certo & indubitato debito, & moratoris ambagibus spem condemnationis excludi. per l. fin. C. h. t.*

60. **Liquidum** a debito censetur & illud, quod sine latiori indagine liquidari potest. *gl: in §. in bona fidei. 30. Inst: de act: Quando autem & quibus casibus debitum dicatur de proximo liquidari, iudicis arbitrio est definiendum.* Nam ea quæ facti sunt, non possunt sub certa regula definiri. *per l. mora 32. ff. de usuris l. 1. in fin. ff. de jure delib: c. 2. §. fin. ex: depos.*

61. **Tertiò.** Ut debitum utriq; sit **præsens** sive **purum** & tale, quod hinc inde peti possit. Quod enim in diem debetur non potest compensari, antequam dies veniat, quanquam dari oporteat. *l. quod in diem 7 ff. h. t.* Nam compensatio est vice solutionis, quemadmodum igitur debitor in diem, antequam dies veniat, debitum illud solvere nõ compellitur *per l. debitor 107. de V. S. ibiq; D d.* sic neq; compensatione illius, quod ipsi pure debetur, cum illo, quod ipse alteri in diem debet, admittere cogitur. Sed hæc vera sunt de die à contrahentibus appposito.

62. **Cumq;**

62. Cum verò intra diem ad iudicati executionem datum condemnatus contra alterum agit, etiam id, quod ex iudicato debet, compensare tenetur, quia aliud est diem obligationis nondum venisse, aliud humanitatis gratia tempus indulgeri solutionis. *l. cum militi. 16. §. 1. ff. h. t. Bartol. ad l. Si constat. 4. C. h. t.*

63. Circa hoc quaeritur: **An compensare promittens quicquid debet teneatur compensare debitum in diem, si nihil aliud debeat?** Quia alias promissio hæc nulla esset, affirmativam tuebimur. *arg. l. Si quando. 109. ff. de Legat. 1. Joan. Bapt. Asinius in tract. de Execut. §. 6. c. 56.*

64. **Quartò.** Ut debitum sit **certum.** Incerti enim cum certo nulla est compensatio, quale est debitum alternativum; Prius igitur hic debet constare, utrum alter ex obligatione alternativâ petere velit. *per l. Si debeas. 22. ff. de Compens. Invito enim eo, ad quem spectat electio, non potest fieri arg. l. qui injuria ff. de furt.*

65. Debito æquali, liquido, præsentii & certo existente objici etiam potest compensatio ei, qui certo loco dare promissit, habitâ tamen ratione utilitatis loci & interesse creditoris, eò loco pecuniam solvi, quò convenit. *l. 15. ff. h. t.*

66. Plus satis etiam de formâ: Sequitur ut nunc agamus de **fine,** ob quem nimirum compensatio est introducta.

67. **Finis** hujus introductionis est, ut & naturalis & civilis æquitas juxta & æqualitatis exacta habeatur ratio, ne iis neglectis lites & contentiones mirum in modum in Republicâ cumulentur, litiû expensæ & inde provenientia damna aggraventur, pericula deniq; alia procreentur, horum enim omnium enascendi occasionem utilissimum hoc compensationis remedium præscindit, & prohibet, ne fieri oporteat per plura quò commodè potest per pauciora. *per l. Dominus 13. ff. de cond. indeb. l. nulli 10. C. de judic. l. 1. C. ne uxor pro marito.*

68. Restat nunc agendum de **effectibus,** quorum ingentem Dd. cumulant acervum, ex quibus præcipuos duntaxat hic apponere juvat.

69. **Primus** ipsius effectus est, quòd pro solutione sit. *per l. Si constat. 4. C. h. t. l. Si debitor. 4. ff. qui pot. in pign. l. permutavit. 19. ff. de liberati*

liberati causa. Is enim, qui compensationem objicit, vult id, quod sibi vicissim debetur, pro pensato esse, hoc est, pro soluto retineri, ne amplius debere videatur; hinc etiam imaginaria, impropria & ficta vocatur solutio. Tynd: *art. 1. de Comp:* Rutz: *Ruland: in tract: de commiss: part. 4. lib. 9. c. 6. n. 1.* facta igitur compensatione liberantur fidejussores per. *l. verum est. 4. §. 5. ff. h. t. & pignora l. invicem 12. C. eod.*

70. **Secundus** effectus est, quod per compensationem solidum interdum servetur, quod non æquè potest servari per actionem. *l. Sicum filiosam: 9. ff. h. t.*

71. **Tertius** effectus est, quod per compensationem etiam naturali debito attribuatür quædam efficacia, quæ ipsi alias per actionem denegatur. per *l. etiam 6. ff. h. t.*

72. **Quartus** effectus est, quod per compensationem tollantur accessiones pro ratione concurrentis apud utrumq; quantitatis, quales sunt usuræ, etiam tunc, quando alter nullas debuerit usuras *l. cum alter 11. ff. h. t.*

73. **Quintus** effectus est, quod allegato compensationis remedio etiam id debitum, quod alias ob loci certi adjectionem non posset exigi, in effectu exigatur. per *l. pecuniam 15. ff. h. t.*

74. **Sextus** effectus est, quod is, qui compensationem objicere potest nec tamen eam objicit, solutum per conditionem indebiti possit repetere. per *l. 10. §. 1. C. h. t.*

75. **Septimus** deniq; effectus allegatæ compensationis est, quod salva maneat debitori petitio si iudex compensationis nullam habuerit rationem. Non enim alter opponere poterit rei judicatæ exceptionem. Si autem iudex eam reprobaverit, nullo quasi existente debito, exceptio rei judicatæ debitori objici poterit. per *l. quod in diem 7. §. 1. ff. h. t.*

Et hæc pro temporis ratione de compensationis materiâ proposita sufficiant.

*DE Omi & trino sit laus, honor & gloria
in sempiterna secula.*


C

Aucta-

Auctarium.

Communissima Dd. est sententia, nullas in jure nostro ve-
reas dari antinomias, quā magni nominis Icti gloriosissi-
mi Imperatoris Justiniani autoritate l. cordi nobis §. 3. de E-
mend. Cod: l. 1. §. 1. l. 2. §. 15. l. 3. §. 15. C. de U. l. E. suffulti
hactenus strenuè reddidèrè defensam. Hanc autem Ictus An-
tonius Matthai Disputatione quādam de Antinomiis juris im-
pugnare conatur longam insolubilem, uti ait, & quae nullam
prorsus diversitatis rationem admittant, antinomiarum re-
censendo seriem, ex quā subjunctas excerpere coronidisq, loco
apponere volui, num aliqua eas conciliandi ratio dari possit
tentaturus.

l. 6 §. ult. ff. de Rer. Divis: & l. 6 §. ult. ff. de Relig. & sumpt. fun.
l. 61. ff. de Rei V. & l. sed si meis 26. princ. ff. de Acquir. rer. dom.
l. 8. ff. ad L. Rhod. de jactu, & l. 43. §. Si jactum ff. de Furtis.
l. in fraudem 15. §. 2. ff. de testam: milie. & l. 20. §. 1. eod.
§. alia 24. Inst. de Rer. Divis: & l. 23. ff. quib. mod. usufr: amire
§. thesauros. 39. Inst. de Rer. Divis: & l. 3. §. pen. ff. de jure fisci.
l. 2. de Rescind. Vend: & l. ab emprione 38 ff. de pact:
l. 5. ff. ad L. Jul: pec: & l. 10. §. 4 ff. de pœnis.
l. 3 §. in amittenda. 6 ff. de Acquir. vel amitt. poss. & l. 8 ff. eod.
d. l. 3. §. ex contrario s. & l. si duo 3. ff. uti possidetis.



Literatissimo & Præstantissimo

DN. JUSTO FRIDERICO
SCHÖNERO de Compensationibus
disputaturo.


Scilicet ut ferri chalybis vel lamna nitorem
Affrictu ferri concipit aut chalybis:

Inge-

Ingenii sic vis crescit, sic mentis acumen
Splendescit, mentem si ingeniumq; teras
Hinc tu sermones socias Schönere, nitorem,
Ut menti quæras ingenioq; novum,
Macte his inceptis, macte hoc conamine, fausto
Hæc tu successu Christe benigne bea.

F.

JOHANNES QUISTORPIUS D.
& Theol. Facult. Senior.




Quatrain.

Veuque vous n'espargnez ny travail, ny despence,
Pourchassant nostre Droict de moment en moment;
Vous en aurez de fruct & vray contentement,
Quand la Sainte Themis vous en fera Compence.

Ita Præstantis. Dn. Respondenti Amico
suo percharo ex animo gratulatur

Ernestus Ludovicus Avemann,
Mennacensis.



COLLATIONEM DEBITI CUM CREDITO
Natura suadet ipsa lexq; civica,
Quæ CONTRAHI lult improbas, non PROTRAHI,
Non EXTRAHI lites, dolum quæ non probat
Perentis hoc, quod mox tenetur reddere,
Audire quæ nescit negantem proximo

Idj.

Id juris, ipse quod sibi reddi cupit.
Non ergo JUSTUS audiat, qui juris hanc
Urgere partem nolit in potissimis.
Hæc, JUSTE mi, dum mente cautus prævides
Rectè Tibi, tuog; JUSTI NOMINI,
Tradendo COMPENSATIONIS optimo
Recepta JURE JURA, JUSTUS consulis.
Hoc mactè fausto NOMINIS JUSTI omine,
Hoc perge ductus jura & hæc & cætera.
Tractare nunc Tibi, sed olim maximo
Clientium gregi: Movere nec TUO
Quis jure quibit quæstionem NOMINI,
Quin ipsa juris Præses, assestrix Jovis
Condigna summi, præmiis quondam fidem
Hic NOMINIS PENSABIT amplis præstitam.

*Eruditissimo Viro, Dn. JUSTO FRIDERICO
Schöner/ Amico in primis colendo gra-
tulab. scrib.*

ANTONIUS Hoting
Oldenb.





Prodiit in lucem tua dissertatio docta,
Amice SCHONERE optime
Qua te fallaci vulgo nunc subtrahis, alta
Tellure tollis pectora.
Gratulor inceptis, faustog, acclamo labori,
Quo te probas doctis Viris.

Ita Præstantis: Dn. Respondenti, Amico & Commen-
sali suo perdilecto l. mq; gratul.

LUCAS Bachmeister
Lunaburgensis.










uerela Testamenti inofficiosi, sed si hæredes
minima etiam parte, cessante querela Testame
ciosi, ad supplendum id, quod legitimæ dees
possunt ex *L. omnimodo 30. pr. C. de Testam. inoffi*
dum tamen hic erit jus vetus a jure novo: jure v
tota legitima liberis esset relicta, querela inoffici
menti non cessabat, de minimo enim eo jure
Prætor; at jure novo, ut cesset hæc querela,
quantacunque etiam minima pars hæreditatis
relicta, sic enim, uti antea dixi, agere potest actio
toria ad supplementum legitimæ §. 3. *L. de inoffi*
ibique Vinn. *in Comment. n. 1. Et dres. commun. add*
Diss. 9. tb. 38. Ubi notari meretur statutum Lube
cautum; ut si quis proximis cognatis 8. solidos
rios reliquerit, quæ summa certe satis minima
at Testamentum; v. *jus Lubecens. lib. 1. tit. 9. art.*
Comment ad jus Lubecens. L. 2. tit. 1. art. 12. n. 7.

§. 10. Non tantum autem per querela
ciosi Testamenti evertitur Testamentum, sed
rerumpitur per agnationem posthumi, modo
(1) non monstruosius. *leg. 3. C. De post. hæred. in*
vividus; ubi tamen non requiritur, ut per longum
vixerit, sed sufficit si per minimum v. g. mome
tempus vixerit, adeo, ut si vel spiritum tantum
lico inter manus obstetricum decedat, ruptum
intelligatur Testamentum. Stryk. *ad §. 1. I. Qui*
stam. infirm. Philipp. us. pract. instit. L. 2. Ecl. 73. n. 9.

§. 11. Sed quia §. 9. mentionem feci leg
beris necessario relinquendæ, ulterius hic not
non sufficere legitimam liberis esse relictam, se
ut ea relinquatur libera & sine onere, quid enim
conditione casuali hæres scriptus fuerit? pro



mpitur
est am.
iamf.
St. stat.
cedat.

ius sub
illa com.
e. inst.
test.